



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv
Redivivae**

Rhay, Theodor

Neobvrgi Ad Danvbium, 1663

XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10835

quo & affectu cultus. Iustitiæ quoque erat tenacissimus, viduarum & pupillorum Tutor eximius, tenuioris fortunæ & egentium indefessus Atlas ac Pater. Et quoniam bonorum laborum gloriosus est fructus, reddet in magnâ & decretoriâ illâ die plenam ei mercedem DEVS; cuius honorem pia eius liberalitas potissimum spectavit Dolorum, quos acerrimos patiebatur. Conditamentum fuere cælestes deliciae, quibus perfundi se sentiebat, in illa Iobi crebro resolutus: *Hac mihi sit consolatio, ut affligens me, dolore non parcat. Quibus sæpius repetitis, Patribus suis Episcopis in prima Æde appositus Redemptorem, judicemque propitium expectat. Bucel. in Germania sancta.*

XIII.

TUITII beatus transitus FVLBERTI Abbatis viri multarum virtutum, & artium qui à religionis ingressu, totâ mente Deo affixus cælestem in terris vitam duxit, cibo vescebatur sine oleo, sine sale, ne palato placeret. Inter orandum duo agebat, potissimum: *alterum*, ut quidquid ageret divinæ gloriæ in sacrificium daret; *alterum*, ut gratiam sibi fratribusque obtineret iuxta vocationem ritè vivendi. *Magnam quoque Dei Matrem*

Matrem ad extremū vsque halitū ita constanter prædicavit & coluit ut glorioso planè Cognomento Divæ Mariæ Doctor sit appellatus. Ex Annal. Tuit.

XIII.

EVERHARDVS MARCKANI *sanguinis Heros*, alternantibus huius mundi bonis & malis *eruditus*, mentis oculum in DEI omnia videntis ac vindicantis oculos pavidè circumferre solebat, sæpius familiaribus suis illud B. BERNARDI ingeminans: *qui pavet, caret: qui negligit, incidit.* Quo salutari timore ita mores, vitâmq; instituit, ut à Leone X. purpurâ merito suo donatus sit; insigni Animarum, Patriæque Leodiensis bono; quod etiamnum loquuntur erecta ab illo posteris monumenta, à quibus aurea prope Leodium secula vidit ac vixit. Demum à CLEMENTE VII. VALENTINVS Episcopus LEGATVSQVE à latere creatus est, cirâ annum Christianum MDXXI. quibus augustissimis titulis oneratus potiùs, quàm ornatus, soli Deo gloriam tribuens, Iesûque nomen ingeminans exspiravit, Patribus suis dignè appositus. *Chron. Leod. Eccles. P. Lobbet.*

XVI.

VRBS *Santensis*, situ Basilica, clero illustris, celebrat